

66. *Phaseolus inamoenus* certe.

Lathyrus inconspicuus omnino.

53. *Tordylium apulum* videtur, sed tua planta major est quam nostra.

Muria *Chrysolampis* Syst. nat. tomii tertii omnino est *Lapis Tuus*, ut ex omnibus experimentis in igne constitit.

Fungus in aversa folii Cerasi pagina, hic mihi visus numquam fuit, videtur mihi affinis *Mucori Erysiphes*, licet propria species.

Upsaliae 1771, d. 2. Julii.

57.

Tab. 88. Hujus specimen dudum e Sibiria habui, et semper pro varietate *Spiraeae Ulmariae* habui. anne folia odora sicut *Ulmariae* instar? quod ex sicca divinare nequeo. qualis est fructus? inde concludas.

97. *Cnicus*. ex figura dignoscere nequeo; similis multum *Carduo tuberoso*.

96. *Sempervivum sedoides*. optimum nomen. an folia compressa (scilicet lateribus) an depressa (scilicet horizontaliter)? hoc observas ut puto. ego istam non novi, vel certe est nova, v. adeo male proposita, ut nullus eam antea dignoscat.

16. *Selinum Carvisfolium* habeo vivam.

61. *Selinum Seguierei* etiam habeo, sed nondum floruit, verum specimen optimum possideo a Seguierio. dudum vidi esse diversam a priori, sed differentiam non possum eruere, antequam vivam viderem florentem. Certe ambae *Selini* species sint, quamvis semina aliquatenus alata in *Carvisfolia* ut *Laserpitii*; nec *Seguierei* planta Genere distingui potest, nisi vis naturae inferatur.

38. Quis dicat quaenam haec sit, nisi videat fructum. Facies omnino *Myagri paniculati*; sed tunc capsulae debent